

acceptus ex malo consilio et persuasione Romanorum quorundam
 quendam fratrem de ordine ^{M.} Minorum in papam instituit et
 fol. 110. nonnullos episcopos et alios de ordine clericali constituit / cardina-
 1328 ian. 17. Les, recipiens insuper benedictionem imperialem cum solempnitate
 a prefato antipapa. Remansit in Urbe per annum et amplius, cum
 magna potentia et auctoritate pro libito cuncta absque contradictione
 disponens. Tandem rebus in contrariam mutatis fortunam idem
 1329 dec. Lodovicus urbem et Italiam relinquens reversus in Germaniam
 multas adversitates ab ecclesia usque ad suam obitum est perpassus.
 Nam cum propter rebellionem predictam post excommunicationis
 sententiam in eundem Lodovicum fulminatam dictus Johannes papa
 ipsum ab imperio et ab omni dignitate regia depositum per senten-
 tiam condemnasset, Benedictus papa XII. et post illum Clemens
 papa VI. dictas sententias excommunicationis et depositionis
 per totam ecclesiam mandaverunt executioni publice demandari.
 Sed ipse adversitatibus et sententiis huiusmodi non permutus, in
 potentia et divitiis cotidie proficiens atque crescens usque ad sui
 obitum res et iura imperii tam in Italia per suos quam per se
 ipsum in Germania forti manu administravit.

Hist. imp. Ital.

Tunc² quidem temporis statim post mortem prefati Henrici
 imperatoris VIII. principes, populi et civitates et totum vulgus Italie
 in contraria vota se dividentes, alii se vocabant Gelfos, alii se Gibe-
 linos nominabant. Gelfi quidem parti domini pape sive ecclesie,
 Gibelini parti imperatoris sive imperii, plus tamen vocaliter quam

¹ Gelfi et Gibelini in
 marg. cod.

261 Nicolaus de Borvara, hinc Nicolaus V. vocatus, pluribus²⁵ demum^{menses} post Ludo-
 vici coronationem imperialem, scilicet die 13. ^{mensis} maii antipapa electus est.

271 Tam paucis post electionem Nicolai diebus Ludovicus Romam reliquit,
 quam ^{mensis} Julio denuo visitavit, post 15 dies inde recessurus.